

2073

LITURGICI.

2074

DCCCXLI.

R. 1637 Codex membraneus germ. Sec. XIV. Folior. 84. f. maj. caractere luculento, crasso perscriptus, initiis omnibus Icunculas auro coloribusque picturatas, S. Paulum et ejus Auditores exhibentes praeferens, priusque Bibliothecae Civicae Vindob. ejus Apostoli Epistolas, non prout in Bibliis se excipiunt, sed prout in Missae Officio per annum leguntur, complectitur, ita tamen, ut saepe non fistatur, ubi fistit Officium, sed pro libitu ulterius lectio procurrat, quaedam etiam Περίκοποι, maxime versus Codicis finem, inserantur, quae Officio non serviunt. Dabo titulum et Versionis specimen: *Hy heben sich an di episteln di man liset in dem iar di uns beschreibet sent paul, vnd daz ist der erste suntag in den advent. Fratres Scientes quia. Bruder ir sult wissen daz sein nu czeit ist. Daz wir ouffsten von dem slafe, wan vnser hail nu neher ist Dan do wir erst gelaubten. Dy nacht ist vorgangen, vnd der tagt nebent. Da uon julle wir von uns werfen dy werk der vinsten. vnd fullen vns kleiden mit dem wafen dez lichtetes &c.* Tò fullen pro sollen suspicionem interpretis e Bobemia vel Moravia oriundi ingerit; vel hodie enim Plebem ibi germanice loquentem *Groschen, Kusten, Kuch* pro *Groschen, Kosten, Koch* &c. sonare audias. Auget suspicionem hanc magna, quae inter *Wenceslai* Imp. *Biblia* Vol. I. P. I. col. 39. a me relata, et hunc Codicem interce-

dit, similitudo. Dubium denique propemodum omne tollit Θεα ἀπο μηχανης e regione S. Pauli folii r. margini adpicta Balneatrix illa *Wenceslai* sospita *Susanna* dextra fasciculum tegendis in balneo vrendis, laeva vero scaphiolum lotorium praeferens, qualis in *Bibliis citt.* et in splendidissimo *Aureae Bullae Carolinae* Codice, quem pariter Bibliotheca Palatina nostra servat, non semel videtur. At quae fors praesentem *Wenceslai* Codicem in Civium *Viennensium* manus dedit? Dicam, quod sentio. *Wenceslaum* a. 1393. ope *Susannae* e *Pragensi* custodia elapsum tradit Historia, ex altera *Viennensi* ope Piscatoris evasit a. 1402. Fieri igitur potuit, ut *Lexionarium* istud pro captivitatis solatio secum *Praga* delatum in turri, qua ad *Danubium* adtinebatur, fugitivus destitueret, illudque repertum Senatus *Vienn.* Bibliothecae suae inferret. Quomodo vero *Lambacherum* Bibliothecae hujus κειμηλια recensentem fallere potuerit, non video.

DCCCXLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 163 Folior. 212. f. per duas columnas sat nitide exaratus, rubricisque distinctus exhibet: I. Expositionem Epistolarum per anni decursum in Ecclesia legi solitarum, ad quam ita introducimur: *Cum sacrosancta mater ecclesia premonstrante spiritu non sine certarum causis rationum sacre scripture certas particiones certis temporibus*

T 2

in

2075

CODICES

2076

in missarum officijs deputasse noscatur &c. Injunctum sibi ait Scriptor opus ab eo, cui non possumus denegare, et ita ab Epistola Dom. I. in Adventu: Hora est iam nos de sompno surgere &c. orditur. Extrema sunt: ut sicut dyabolus per prudentiam deceperat ita per prudentiam decipietur.

II. fol. 121. *Expositio super apocalipsin magistri Richardi de sancto Victore. Extat in Edit. Opp.*

Laus tibi sit christe quoniam liber explicit iste

III. fol. 205. *Brevis Historia Vitae Christi e IV. Evangelistis conflata, quae incipit: In principio erat verbum &c. finit: sedetque a dextris patris dei. Marci ult. Lucce ult. et etiam Cod. Univ. 138. indicata est.*

DCCCXLIII.

U. 2228 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 233. f. magnifice nigro, rubroque exaratus, literis initiorum deauratis, picturatisque splendidus, et olim Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis*, *Pontificale* est duabus Partibus constans, quarum Prior Titulis XXXIII. Ritus conferendi sacros Ordines, variarum Consecrationum et Benedictionum, et Ordinem majoris Hebdomadis docet, praemisso ab alia manu ordine romane ecclesie quomodo debet pontifex celebrare. Multa hinc inde per margines addita et subpleta sunt pro varia ejusmodi Ritualium ratione et ad calcem legitur: *Anno domini M°.*

Colon. 1621. P. II. p. 300. 4. Libris VII. sed in editis non adfunt praefixa Libris Summaria, quae in Codice habentur. Prooemii initium est: Accipe itaque frater karissime sententiarum munus &c. Et totius tractationis finis: qui nec loco capitur, nec tempore mutatur, immensus eternus, qui est deus benedictus in secula seculorum. Amen.

CCC° undecimo. quinto. Idus. Marcij. perfectus est liber iste in argentina. per henricum scriptorem dictum wartenberg. Ecclesiam, sive Episcopatum, in cujus usus istud Rituale descriptum fuit, fortasse quis eliciat e nomine. S. Rupinae, quod in Litaniis fol. 144. p. 2. invocatur. Pars altera Praefationes Missales notis musicis illigatas, Missae Canonem pagina adpingendo Christo cruci adfixo vacua destituta, Benedictiones Episcopales, Altaris Consecrationem, Missas varias et Benedictionem Paramentorum sacerdotalium complectitur, atque hac Parte Literae quibusdam locis, nescio qua labe, fatis evanuerunt.

DCCCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. H. 3 XV. Folior. 365. f. per duas columnas eleganter exaratus, Iconibus IX. sacra Episcoporum munia exhibentibus, plurimisque aliis marginum et literarum picturis ab arti-